

tenuit Petrus et exercuit, quid (quod horresco referens) in sacra á Deo statuta et tradita, in quidquid sanctum ac venerabile christiadis est tenendum, nefario ausu et astu satanæ ab impiorum turba attentatum non fuit? Ast præinctus, clypeoque fidei protectus, et spiritum nunquam ab oratione in Deum relaxans, Petrus præsto adest et stat pro repagulo domus Israel. Quocirca si illinc acatholicas et morum honestati aversas a veritate auditum avertentes doctrinas factitant conscribere, prelo dare, quoquo modo vulgare ac propalare; hinc videbitis Petri digitis doctissimas notas statim cússas et typis datas ad universum gregem, ad clerum, pro sacro jugali matrimonii vinculo, pro recta verbi Dei scripti lectione, pro servanda quæ a Christo accepta est veneranda traditione. Si illinc cernitis quæ Supremo Numini dicata sunt templa furiali ausu quati, et solo æquari, si sacra Ecclesiarum vasa et ornamenta diripi, si ementito nomine legum, revera auri fame et argenti, fucata colore boni societatis, Ecclesiam bonis spoliata, et ad immovile quid adquirendum impeditam; si virginum quæe solempne coelesti sponso votum redierunt secessus adoriuntur, si scelerati et superis exosi jusjurandi religione legem fundamentalem velle communiri; si demum illinc cernitis omnia pessundari, et divina ac humana commisceri; videbitis etiam vestrum Antistitem gregem de vibratis ab Ecclesia censurarum spiculis, quæ quamvis malesani irrident, le-

tali vulnere feriunt depopulatores Ecclesiarum, et ejusdem bona diripientes et spoliantes commonentem, de Ecclesiis reparandis, aedificandis, ornandis; et insuper, quod quidem potissimum est, de templis Dei vivis, quæ nulla humana potestas auferet, sedulissime curantem, veteratorum fallacias detegentem, et sapientissimo calamo elidentem. En etiam sacris virginibus tutelam solamenque præbet, notat et abjicit indignas nomine leges: "contemplabor, inquit, ut audiam Dei, non hominis fatum." Itidem videbitis Petrum ita dicentem: "Vos qui Dei, qui superum, qui Ecclesie contemptores et aequi, testem Supremum Numen in facinus adhibuistis, ni coram humanis testibus quod scelerate fecistis a vobis fuerit rescissum, indigni eritis quod vos sacerdos absolvat, et non intrabitis in regnum coelorum: quippe de vobis, de vestra salute anxia corda gero. Ut aliter agam, qui Reipublicæ præest sevas et minaces poenas tulit: haud terreo; nec eum qui corpus vexare ac perdere potest timeo, potius eum timeo, qui corpus et animam potest perdere in gehennam. Contemplabor enim ut videam quid respondeam ad Altissimum judicantem et arguentem me."

Ibat Illmus. Petrus cum præclarissimis in Episcopatu collegis suis, gaudens uti olim Apostoli pro Jesu compulsus dura pati et exulare: lapides quos efraeni homines et impii in eos jecerunt, (factum

dignum facientibus) illi dulces fuerunt. Cum per vim illatam non liceat inter oves commorari, ad Apostolicam Sedem, Pium Maximum Antistitem veneraturus se contulit: ante vices Christi in orbe terrarum gerentem tanta fuit reverentia correptus, ut quemdam ex mexicanis Episcopis Petro dixisse audivi: "Numquam in Pio aliud respicis, nisi quod te docet catholicum dogma." Magni Maximus Pius Petrum fecit; multa pietatis, multa amoris Petro specimina dedit: eum primum Archipraesulem Guadalaxarensis renuntiavit, ecclesiasticis donis et honoribus cumulavit.

Proh bone Deus! tu qui nunquam misericordia oblivisceris, si patrati a nobis sceleris vindex justus ablatum Antistitem pati voluisti, grates tibi, jam nobis Petrum dilectissimum propitius reddes. Ab exilio revocatus, tota civitas profusis gaudiis adventante Archiepiscopo exultat. Petrus vero si itinere longo et navigatione, si aerumnis et actis et futuris quae minitant attritus est corpore, animo vero semper vegetus, fatigari inscius, sive in hostes avitae religionis, sive adversus incautos insidiantes, tam pro Deo, pro Romano Antistite, pro populo, pro pueris, mira adoritur et perficit. Jam miles infractus labore, fidele columen pro genere electo novatorum turbae sese objicit. Nonne te vidimus, oh Petre, aureo calamo scribentem in Syllabum percelebrem, quo Christi Vicarius nostrae aetatis notat et damnat errores? Nonne tum te vidimus

doctrinam catholicam explanantem, pro ea ad Mexicanorum Imperatorem litteras plenas robore mittere; dum, "uti Gedeon, teste Maximo Pio, altera manu facem praetulisti, altera tubam qua clamares: *Gladium Domini*, tenendam duxisti? Non aliter sane quam tu, prisci illi Ecclesiae praesules adversus saeculi potestatem decertarunt usque ad mortem ullis territi periculis; et eos propterea Episcopali zelo tuo arrisisse putamus, et e coelo adplausisse." Haec sunt verba ipsissima Romani Pontificis in litteris benevolentia, amore et charitate plenis, quas ad Petrum scripsit die vicesima prima Octobris 1865. Ad finem vero properetur oratio.

Videre mihi videor oves Petri dum cernerent suum Pastorem de labore lassatum, et quod jam processisset in diebus suis, ita Petro alloquentes: "Mane nobiscum, dilectissime pater, jam dies advesperascit: sat datum laboribus, sat datum curae: requiesce ergo, et inter nos sede." Quid responsum habes, Illme. Praesul? "Non est meum, inquis, sedere et requiescere: meum est stare, ex vobis iterum exire: Deus ita vult." Oves igitur ululate: Deo volente, pro inter Ecclesiam et Statum rebus componendis et pace, Petro ad Mexicanam urbem Rei nostrae publicae principem est pergendum, et amplius non videbitis faciem suam. Senex igitur et attenuatus viribus profectus est; omnium gratulatione et bonorum plausu Mexicum appulit:

cum autem inter fratres et cœpiscopos de ecclesiasticis rebus componendis, qualis foret sua sententia propalaret, extrema infirmitate correptus, cum autumnus jam prorsus maturasset fructus aestatis Petri, placuit Deo hos uberrimos colligi.

Quocirca ingravescente morbo, sanctissimo quo omnis vita spiritualis roborascit et fulcitur Eucharistico cibo, ad vitam aeternam consequendam, quam maxima reverentia recreatus est Petrus. Vos qui etsi dolentes, felices tamen testes fuistis eorum quae jam moriturus fecerit, nonne persimilem Paulo Petrum putavistis? Nonne ex ore morientis Petri haec audivistis: "Agite Domino dies letitiae, et pro me confitemini illi, eo quod tam bonam mortem mihi contulerit? Statim, ait etiam ac animam eflaverim, actus fidei elicite et recitate, in argumentum quod in fide catholica Apostolica Romana, quam in sacro fonte a Christo suscepi, quam libentissime moriar. Dicite etiam *hymnum Te Deum laudamus*, in gratiarum actione pro omnibus beneficiis, et praecipue pro morte quam mihi contulit Deus; et demum pias orationes pro mea requie sempiterna ad Deum fundite." Charitatis inde, pietatis et humilitatis officiis expletis erga pios hospites suos, et erga clericos suo comitatu addictos, quos et episcopali benedictione solavit, ad extrema redactus et eo quo momento affectus poenitentiae pro peccatis, et amoris in Deum irretita lingua exprimebat, pretiosa in conspectu Domini,

et placidissima morte quievit, pridie iduum Novembris anno 1866, in septuagesimo quarto aetatis suae; cum sedisset annos duodecim, menses decem, dies quatuor.

Oh rem mirandam et spectabilem visu! Hinc cernere licet Mexicanum. Linariensem, Angelopolitanum Antistites ferventissimis precibus morientis Petri animam Domino pro nobis passo lacrymabili ore commendare: illinc vero Sanctissimos illos priscos Patres Eusebium, Ambrosium, Chrysostomum, placido et hilari vultu, ut pie credimus, beatam Petri mortui animam commitantes, et Christo qui a mortuis resurrexit, et vincula mortis destruxit, quam libentissime offerentes, ut immortalitatis laurea coronetur. Oh beatum Antistitem! qui in deliciis habuisti cum viveres antelucano tempore incruentum Sacrificium offerre, qui sapientiae et humilitatis permixtum odorem aeternae Sapientiae Patris quae in terras descendit, bene olentem obtulisti, jam tibi gratus et festivus Christus apparet eo quod a juventute veram sapientiam quaesiveris et inveneris. Oh felicem animam, quam laetissime paradisi tenet! Jam te tenet Eusebius, ejus ad instar pro Christo exilium pertulisti. Jam te tenent Ambrosius, Basilius et Chrysostomus, quorum ad exempla potestatibus hujus saeculi pro Deo, pro Ecclesia, pro aequo fortiter obstitisti. Jam te tenet Stridonensis Presbyter Doctor maximus, jam te invitat ad praemium praeclarissimus

Hipponensis Episcopus, quorum vestigiis inhaerendo tibi munus imponendum duxisti sacros codices et veterum Patrum noctua et diurna manu evolvendi, conspiciendi et rimandi. Jam te tenet alma Deiparens, et placidissimo vultu tibi arridet. Quid plura? Sacerdos in aeternum et aeternus Pastor, qui pro ovibus mortuus est, jam te ejusdem sacerdotii consortem, et qui pro ovibus nullum non subisti laborem, tenet; et cum in terra positus super custodiam et super munitionem steteris, et contemplereris ut videres quid tibi diceretur, jam te tenet in coelesti sede locatum universorum Pastor et Dominus.

Vae mihi misero! Magnum sui desiderium et vobis et mihi. Illmus. Petrus relinquit; et frustra mihi tenendum putavi, solamen aliquod orationem meam posse vobis afferre. Antequam, etsi invenusta, verba facerem, forsitan non tanta qualis nunc, Petri jactura videretur. Indulgete ergo lacrymis, et pio precum officio ejus funus committami: forsitan et ille sedulissimus Pastor qui corda hominum et cogitationes scrutatur et numerat, forsitan inquam inter bona vitae longaevae merita nostri dilectissimi Antistitis, aliquid a se arguendum invenit, quod piacularibus flammis comburendum esse duxerit. Nostrum est igitur palmas ad caelum tendere, et ad Deum preces fundere, ut quanto citius a piaculis solvatur, et in pace sempiterna requiescat.

ORACION FUNEBRE

DEL

ILLMO. SR. DR. D. PEDRO ESPINOSA,

DIGNISIMO

PRIMER ARZOBISPO DE ESTA METROPOLI,

Pronunciada por el Canónigo

Don Florencio Parga,

EN LAS

SOLEMNES EXEQUIAS VERIFICADAS EN LA SANTA IGLESIA
CATEDRAL DE GUADALAJARA, EL 28 DE FEBRERO DE 1876,
CON MOTIVO DE LA TRASLACION

DE LOS RESTOS MORTALES DE AQUEL ILLMO. PASTOR,

DE MEXICO

A ESTA CAPITAL.